



## The Holy See

---

### PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE *MONUMENTUM FIDEI*\* TITULUS AC PRIVILEGIA BASILICAE MINORIS

*ECCLESIAE CATHEDRALI PUNIENSI CONFERUNTUR.* Ad perpetuam rei memoriam. — Monumentum fidei praenobile, opus amplitudine structuraque spectabile, princeps templum dioecesis Puniensis in edita planitie montana surgit ad auras. Haec enim ecclesia, Beatæ Mariæ Virgini primæ labis experti sacra, pietatis sedes est inclita populo circum incolenti, qui maxima e parte efficitur autochthonum genere; quin immo sanctuarii loco habetur, siquidem imaginem Iesu Christi Cruci affixi, «Señor de Laikakota» vulgo appellati, quæ ibi est proposita, animis incensis venerantur. Praeterea divinis ritibus celebrandis a Canonicorum collegio studiose opera datur iisdemque pretiosae suppellectilis sacrae copia decor accrescit. Hoc vero domicilium religionis, quæ ea in plagalaetis auctibus provehi dicitur, arte simul, quam «barocam» vocitant, affatim commendatur. Cui templo, saeculo XVIII excitato et multiplici laude illustri, ampliorem cupiens honorem adiungere, Venerabilis Frater Iulius Gonzales Ruiz, Puniensis Episcopus, vota quoque referens cleri plebisque, curæ suæ pastorali commissæ, Nos rogavit, ut id Basilicæ Minoris nomine ac iure donaremus. Quibus precibus libenti animo concedentes, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicæ potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Puniensem cathedralem ecclesiam, Deo in honorem Beatæ Mariæ Virginis sine labe conceptæ consecratam, ad dignitatem *Basilicæ Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quæ templis eodem auctis honore rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes præsentibus Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter ex stare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite indicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. *Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIX mensis Octobris, anno XICMLXIII, Pontificatus Nostrî primo.*

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI  
*a publicis Ecclesiae negotiis*

---

\*A.A.S., vol. LVI (1964), n. 7, pp. 420-421

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana